

**<Q. 4, Art. 2: Utrum productorum in divinis realis distinctio sit absoluta vel relativa>**

1. Secundus articulus erat iste: utrum productorum in divinis realis distinctio sit absoluta penitus vel simpliciter relativa. Pro cuius 5 articuli declaracione est advertendum quod circa istam materiam, exclusa opinione Praepositini, sunt duae opiniones inter quas non est possibilis mediatio. Et ideo quaelibet illarum cum suis motivis recitabuntur et demum pars tutior eligetur.

**<Opinio prima>**

10 2. Prima igitur opinio tenet pro conclusione certissima quod distinctio inter divina supposita est per modos intrinsecos realiter absolutos. Cuius opinionis videtur fuisse venerabilis Richardus de Sancto Victore quem dominus Bonaventura sequitur, ut patet I *Sententiarum* distinctione 25 quaestione 1. Et similiter hanc 15 opinionem tenet magister Ioannes de Ripa, ut appareat scripto suo I *Super Sententias* distinctionibus 25 et 26, quam opinionem iste modernior nititur colorare. Pro qua opinione declaranda septem colligo conclusiones<sup>C 71ra</sup>] quae possunt ex dictis elici praedictorum quarum prima sit ista.

20 **<Conclusio 1>**

3. Quaelibet persona divina sine partium compositivo concursu intelligitur realiter constituta. Haec conclusio sic probatur: quaelibet persona divina habet rationem intrinsecam per quam non denominatur persona et denominatur persona. Ergo oportet assignare rationem 25 intrinsecam per quam vere dicatur persona; huiusmodi ratio ex communi modo loquendi dicitur constitutiva; ergo propositum. Maior patet, quoniam quaelibet ratio essentialis est intrinseca divinae personae, et per nullam talem formaliter denominatur persona ut apparent; ergo propositum.

30 4. Praeterea, divina essentia et persona sunt idem, et praeter hoc divina essentia est alia a persona a qua non distinguitur, sed illa persona ab alia. Ergo oportet intelligere in persona unam rationem per quam ab alia est distincta. Huiusmodi dicitur ratio constitutiva ex communi modo loquendi quae nisi admittatur, numquam poterit 35 distincte concipi varietas huiusmodi rationum. Et per consequens, cum ibi non sit partium compositio, sequitur quod est huiusmodi rationum constitutio sine compositivo concursu; quare propositum.

5. Pro quo est advertendum quod huiusmodi constitutio non est eo modo quo materia et forma dicuntur constituere compositum. Sed

---

142,21 persona] sine add. sed del. C 31 a<sup>1</sup>] sup. lin. a. m. C

si per imaginationem materia transiret in identitatem realem formae, et 40  
 forma similiter in identitatem materiae, tunc illud quod intelligeretur  
 constitutum ex ipsis non intelligeretur ... quia ibi non sint partes, sed  
 quasi constitutum ex rationibus concurrentibus unitivae ad unum. Et  
 isto modo intelligunt doctores cum de constituto loquuntur, qui modus  
 fuit necessarius et utilis pro doctrina. Sic igitur patet prima conclusio. 45

**<Conclusio 2>**

**6.** Secunda conclusio est haec: nulla relatio originis est in divinis  
 formaliter aliqua ratio positiva et quodlibet Dei ad extra producere est  
 intensius producere quam quocumque producere ad intra. Sed relatio  
 fundata in productione Dei ad extra non est formaliter aliquid 50  
 positivum. Ergo a fortiori nec relatio fundata in productione Dei ad  
 intra est formaliter aliquid positivum. Consequentia patet, et maior ex  
 hoc quoniam quodlibet Dei ad extra producere est formaliter  
 immensum cum sit essentiale. Sed nullum ad intra producere est  
 formaliter immensum, aliter Pater esset perfectior Filio et ambo 55  
 Spiritu Sancto perfectiores, quod videtur falsum; ergo propositum. Et  
 minor appareat, videlicet quod relatio fundata in productione Dei ad  
 extra, non sit aliquid positivum, quoniam Dei ad creaturam nulla est  
 relatio realis, quia creata vel increata. Non<sup>1</sup> creata, quia nulla tali Deus  
 refertur ad creaturam. Nec increata, quia tunc aeternaliter fuisse, quod 60  
 falsum est, cum ipse non aeternaliter erat producens ad extra; quare  
 propositum.

**7.** Praeterea, quodlibet formaliter positivum est formaliter  
 finitum vel infinitum; sed nulla relatio originis est formaliter finita vel  
 infinita; ergo nulla talis est formaliter positiva. Consequentia et maior  
 patent, et minor ex hoc quoniam si relatio esset formaliter infinita,  
 aliqua denominatio perfectionis simpliciter corresponderet uni 65  
 personae quod non aliae et e contra; quare neutra esset universaliter  
 perfecta. Si autem detur quod sit finita, sequitur absurdius quod  
 aliquid Deo intrinsecum esset formaliter limitatum, et per consequens 70  
 non esset Deus; quare conclusio vera.

**<Conclusio 3>**

**8.** Tertia conclusio est haec: nulla relatio originis est personae  
 denominatio intrinseca, sed tantummodo in extrinseca et connotativa.  
 Haec conclusio sic probatur: quaelibet denominatio personae 75  
 intrinseca est positiva; sed nulla relatio originis, per praecedentem  
 conclusionem, est formaliter positiva; ergo nec est denominatio  
 intrinseca, et per consequens est extrinseca. Cum igitur dicat  
 respectum ad aliud, sequitur quod est formaliter connotativa.  
 Consequentia patet ex hoc quoniam non potest imaginari quod aliquid 80  
 sit intrinsecum alicui et tamen illud nihil sit; quare propositum.

**9.** Et si DICATUR quod extrinsecum est Sorti non esse asinum, et tamen hoc non dicit aliquam rationem positivam. Hic DICITUR quod si sit pura negatio non continens aliquid affirmationis, non plus est Sorti intrinsecum quam lapidi, quia da quod Sortes non sit, non minus Sortes non est asinus. Negatio igitur non se habet per modum intrinsecum, sed potius per modum cuiusdam necessariae sequelae; quare etc.

**10.** Praeterea, si Deus aeternaliter produxisset creaturam vel aliquid ab eo distinctum, aeternaliter fuisse relatio Dei ad creaturam. Et tamen talis relatio non esset Deo intrinseca, sed potius quaedam extrinseca et denominatio aeternalis. Sed nunc de facto ex hoc quod Deus producit ad intra, non magis intrinsece refertur ad productum quam tunc faceret. Ergo quam tunc est vel esset intrinseca 95 denominatio, tam nunc de facto. Consequentia patet. Minorem probo, quoniam relatio consurgens aeternaliter ex productione talis creaturae, iuxta imaginationem, esset potius formaliter infinita quam ista nunc quae fundatur in productione divinorum suppositorum. Patet, quia fundaretur super producere immensum. Ergo si illa esset tantummodo 100 extrinseca et denominativa, a fortiori ista. Et hoc posset deduci absque tali casu de relatione nunc fundata super agere Dei ad extra; quare etc.

C 71va

**<Conclusio 4>**

**11.** Quarta conclusio haec est: nulla relatio originis est alicuius personae ab alia ratio formaliter distinctiva. Haec conclusio sic probatur: quaelibet distinctio arguit necessario extremorum positionem, quoniam differentia est duorum extremorum positio et unius ab alio mutua negatio. Cum igitur omnis distinctio sit quaedam differentia, sequitur propositio assumpta vera. Sed nulla relatio originis, ut dicit secunda conclusio, est formaliter aliquid positivum. Ergo nulla relatio originis est inter personas medium formaliter distinctivum.

**12.** Confirmatur, nam ex hoc quod similitudo inter Sortem et Platonem non est aliquid formaliter positivum ultra naturas Sortis et Platonis, ad minus secundum opinionem Okan, non plus Sortes et 115 Plato distinguuntur per illas similitudines quam per duas chymaeras. Ergo pariformiter in proposito, cum illae relationes non sint positivae formaliter, sequitur quod nec distinctivae.

**13.** Praeterea, omnis distinctio aliorum ab invicem oritur ex propriis rationibus intrinsecis, aliter Sortes et Plato distinguerentur per 120 duos asinos, quod fatuum est cogitare. Sed nulla relatio originis, ut dicit tertia conclusio, est alicui personae intrinseca, sed tantummodo

---

142,109 secunda conclusio] Cf. supra n. 6-7. 121 tertia conclusio] Cf. supra n. 8.

extrinseca et connotativa. Ergo per nullas relationes originis personae divinae ab invicem distinguuntur.

**14.** Et confirmatur, quia quod non dat esse, non est ratio distinguendi; sed extrinsecum alicuius non dat eidem esse, quia non minus esset si tale non esset; ergo extrinsecum alicui non potest esse sibi ab alia principium distinctivum; et per consequens conclusio vera.

**<Conclusio 5>**

**15.** Quinta conclusio est haec: nulla relatio originis constituit formaliter rationem aliquam personalem. Ista conclusio multiplicitate declaratur. Primo sic: impossibile est aliquid in esse constitui per suum contrarium, sicut impossibile est albedinem in esse constitui per nigredinem. Sed esse ad se et esse ad aliud opponuntur formaliter. Cum igitur relatio sit formaliter esse ad aliud, esse vero personam est esse ad se, ergo impossibile est personam in esse constitui per relationem. Consequentia et maior patent. Et minor pro prima parte patet, quoniam relatio et ad aliquid convertuntur. Unde et Philosophus in *Praedicamentis*: “Ad aliquid vero dicuntur quaecumque hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur.” Pro secunda vero parte probatur: quoniam perseitas tertii modi dicit rationem ad se, quoniam nullus dicitur per se subsistere ad aliud; sed persona dicit perseitatem tertii modi; quare propositum.

**16.** Praeterea, illud non constituit suppositum quod praesupponit suppositum constitutum; sed relatio originis praesupponit suppositum constitutum; ergo conclusio vera. Consequentia et maior patent. Et minor probatur: quoniam illud quod relative dicitur est aliquid excepto relativo; sed persona dicitur relative; ergo est aliquid excepto relativo.

**17.** Si DICATUR quod illud est essentia, CONTRA: relatio originis non potest in essentia fundari, aliter essentia generaret, quoniam “actiones sunt suppositorum.” Et per consequens relatio originis fundatur in ratione suppositali, et per consequens non constituit rationem suppositalem, quia nihil constituit suum fundamentum; quare propositum.

**18.** Praeterea, nulla constitutio per accidens est constitutio faciens unum per se; sed divina persona est vere unum constitutum per se; ergo nulla constitutione per accidens constituitur persona divina; sed quaelibet constitutio per relationem est per accidens; ergo per

**137** Philosophus] ARIST., *Categ.*, c. 7 (AL I-1, 18; c. 7; 6a 36-37) ARIST., *Anal. Post.*, I, c. 4 (AL IV-1, 13; A, c. 4; 73b 5-10).

actiones...suppositorum] Cf. ARIST., *Eth. Nic.*, II, c. 7 (AL XXVI-4, 405; β, c. 7; 1107a 31); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 235: Operationes sunt circa singularia.

**140** perseitas] Cf.

**151**

160 nullam talem constituitur in esse divina persona. Minor probatur,  
 quoniam quandocumque in aliquod tertium concurrunt rationes  
 diversorum praedicamentorum, illud vere est constitutum per  
 accidens, quod patet de homine et albedine. Et in hoc appareat notabilis  
 differentia inter constitutum per se et per accidens, quia in constituto  
 per se rationes constituentes non egrediuntur limites unius generis; sed  
 165 in constituto per accidens sic. Nunc vero substantia et relatio sunt  
 diversae rationes non concurrentes in uno genere; ergo si aliquod  
 constitutum ex substantia et relatione esset, illud foret unum  
 constitutum per accidens. Et per consequens relatio originis non est  
 ratio constituens personam; quod est propositum.  
 170 **19.** Praeterea, si Pater constituitur per paternitatem, quae est  
 quaedam relatio, sequitur quod Pater est ita vere productus sicut  
 Filius. Consequens est falsum, ergo et antecedens. Sed consequentia  
 probatur, quoniam illud quod oritur producto termino est vere  
 productum; sed ex productione Filii oritur statim ratio paternitatis;  
 175 ergo sequitur quod illa est vere producta.

176 **20.** Et confirmatur, quia “relativa posita se ponunt, et perempta  
 se perimunt;” ergo non videtur quod una relatio sit magis causa  
 alterius quam e contra. Si ergo per paternitatem Pater constituitur, et  
 Filius per filiationem, nec ipsis praeintelligitur aliqua ratio  
 180 suppositalis in quibus istae rationes fundantur, non appareat unde magis  
 ista relatio ‘paternitas’ sit causa filiationis quam e contra. Verbi gratia,  
 ex hoc quod Sortes generat Platonem consurgit aequo primo in eis  
 ratio paternitatis et filiationis, et una relatio non est causa alterius, sed  
 185 ambae proveniunt ex actu generandi. Ergo si personae divinae essent  
 per relationes originis constitutae, et nihil aliud praeintelligatur, non  
 plus est una illarum producta quam alia; vel si aliqua est producta, et  
 quaelibet; quod tamen fidei professio non admittit realiter.

186 **21.** Praeterea, nihil quod praeexigit aliud, constituit illud, quia  
 posterius non est causa prioris; sed relatio praeexigit distinctionem  
 190 extremonum; ergo nulla talis est alicuius extremini constitutiva.  
 Consequentia et maior patent. Et minor videtur Philosophi, V  
*Metaphysicae* capitulo ‘De eodem’, ubi per hoc probat identitatem non  
 esse relationem realem, quia non praeexigit distinctio extremonum. Si  
 195 igitur in divinis ponantur relationes originis, sequitur quod non sunt  
 personarum constitutivae, quoniam quaelibet relatio necessario

C 72ra

---

**176** relativa...177 perimunt] ARIST., *Categ.*, c. 7 (AL I-1, 21; c. 7; 17b 20); *Auct. Arist.*,  
 ed. J. HAMESSE, p. 303: Relativa sic se habent quod posita se ponunt et perempta se  
 perimunt. **191** Philosophi] Cf. ARIST., *Metaph.*, V, c. 15 (AL XXV-3, 113-114; Δ, c. 15;  
 1021a 27-b 3).

terminatur ad aliquid absolutum, quia licet relatio referatur ad suum correlativum, non tamen videtur in eo finaliter terminari.

**22.** Praeterea, et ultimo pro ista conclusione, quae videtur fundamentum istius positionis, quaelibet ratio constitutiva et distinctiva alicuius suppositi est de necessitate ratio incommunicabilis; 200 sed nulla relatio originis est formaliter ratio incommunicabilis; ergo nulla talis est ratio constitutiva et distinctiva alicuius suppositi. Consequentia et maior patent. Et minor declaratur, quoniam nulla quiditas est formaliter ratio incommunicabilis; sed relatio originis est quaedam quiditas; ergo nulla talis est formaliter ratio 205 incommunicabilis. Minor istius probationis declaratur, quoniam a differentiis ultimo constitutivis et distinctivis non potest abstrahi aliquid eis commune, quoniam sunt primo diversa; sed a paternitate et filiatione abstrahitur ratio communis, videlicet relatio originis; ergo ipsae non sunt ultimae differentiae, et per consequens nec rationes 210 constitutivae nec distinctivae, cum ipsae alias praesupponant; quare propositum.

#### <Conclusio 6>

**23.** Sexta conclusio est haec: per prius est quodcumque personam divinam in esse personali constitui quam ad alteram personam dici per condicionem originis relativae. Haec conclusio sic probatur: omnis relatio originis praesupponit productionem, et omnis productio praesupponit terminum; ergo omnis relatio originis praesupponit terminum, et per consequens per prius est termini constitutio quam sit relatio ipsius ad aliud; sed persona in divinis intelligitur producens et similiter producta; ergo per prius est tales personas constitui quam ipsas ad invicem referri.

**24.** Et confirmatur, quoniam personae relationibus referuntur, et per consequens praeintelligitur ratio personalitatis rationi ipsius relationi, aliter non est imaginable quae sunt illa quae ad invicem referuntur, quoniam relationes non dicuntur relatae, sed sunt rationes formales quibus aliqua dicuntur relata, sicut albedo non est alba, sed est id quo aliquid dicitur esse album; quare propositum.

C 72rb

**25.** Praeterea, relatio nullum dat esse nisi habitudinem ad aliud; sed habitudo unius ad aliud semper praesupponit illa; ergo cum relatio originis dicit habitudinem inter personas, sequitur quod praesupponit ipsas. Et per consequens per prius est ipsas personas constitui quam ipsas ad invicem referri, et per consequens habetur intentum, quoniam semper referri praesupponit subsistere; quare etc.

#### <Conclusio 7>

235

**26.** Septima conclusio et finalis est haec: cuiuslibet personae divinae ratio suppositaliter constitutiva est condicio formaliter

absoluta. Haec conclusio quasi infertur ex praemissis, quoniam quaelibet persona dicitur constituta per primam conclusionem. Vel  
 240 ergo per relationem sive per aliquid relativum, vel per aliquid absolutum. Non per aliquid relativum, ergo per aliquid absolutum; quod est propositum. Consequentia patet et minor per quintam conclusionem. Et quod divisio sit immediata patet, quoniam omnis ratio vel est ad se, vel ad aliud, nec est aliter intelligibile; quare  
 245 propositum.

**27.** Praeterea, si per possibile vel impossibile Pater non generaret, non minus esset suppositum, quia adhuc sibi corresponderet ratio omnipotentiae et actionis ad extra, et per consequens ratio suppositalis; sed quam pro tunc se haberet, tam pro nunc se habet;  
 250 ergo si pro tunc, ratio suppositaliter constitutiva esset condicio absoluta, sequitur quod et nunc; et per consequens propositum.

**28.** Et ista ratio multum movebat venerabilem Richardum, quoniam Pater in nullo dependet a Filio, et hoc non posset intelligi nisi ponatur quod eius formale constitutivum sit ratio absoluta, quoniam si  
 255 sit relatio, illa dependet a suo correlativo; quare sequitur veritas conclusionis.

**29.** Imaginatio ergo istorum consistit in hoc quia ex fide tenemus quod divinae personae et distinguuntur et sunt una res simplicissima. Et ista distinctio nobis innotescit per relationes originis,  
 260 et huiusmodi relationes non sunt formaliter entia, sicut ex hoc quod producit creaturam, relatio illa originis non est formaliter aliquid; sed per illam innotescit nobis a posteriori Deum esse creatorem, ita ibi. Quia igitur istae relationes pronunciant distinctionem, et distinctio non potest esse nisi inter positiva, quia non-entia non distinguuntur, ideo  
 265 illa positiva, cum non sint relationes, sequitur quod sunt rationes incommunicabiles absolutae quas connotant relationes originis, quae, cum sint in divina substantia, transeunt in eius identitatem realem ratione suae immensitatis. Et sic, secundum opinionem, salvator realis distinctio inter supposita, et sunt in suis rationibus formalibus vera  
 270 entia absoluta.

#### <Contra fundamentum huius opinionis>

**30.** Contra tamen fundamentum istius positionis arguitur breviter per alias rationes. Et primo sic: si personae distinguuntur et constituuntur in esse per modos intrinsecos absolutos, sequitur quod  
 275 nulla persona est ens universaliter perfecta. Consequens est falsum, ergo et antecedens. Sed consequentia probatur: quaelibet ratio absoluta dicit formaliter denominationem perfectionis simpliciter; si

C 72va

---

239 per primam] Cf. supra n. 3-5. 242 per quintam] Cf. supra n. 15-22.

ergo cuilibet perfectione ratio correspondens constitutiva et distinctiva sit ratio absoluta, sequitur quod nulli perfectione correspondet intrinsece omnis ratio denominationis perfectionis simpliciter, et per consequens non est universaliter perfecta. Consequentia patet. Et maior declaratur, quoniam cuicunque melius est esse absolutum quam suum oppositum et per consequens a definitione ad definitum ratio absoluta dicit denominationem perfectionis simpliciter; quare etc.

280

**31.** Praeterea, data ista positione, sequitur quod aliquid Deo aeternaliter competit quod tamen sibi per accidens competit. Consequens est falsum, ergo et antecedens. Sed consequentia probatur, quoniam omne extrinsecum Deo, si sibi convenit, contingenter et per accidens sibi convenit. Sed relationes originis, ex quo non constituunt nec distinguunt, sunt extrinsecæ et adventitiae; ergo propositum. Declaratur maior, quoniam nunc de facto Deus producit creaturam, et ex tali productione consurgit relatio originis quae est producens ad productum, et ista relatio est rationis et adventitia pro eo quod accidit productioni, et dato quod aeternaliter produceret creaturam, non minus ita esset quam nunc; ergo si nunc est per accidens, et tunc. Et cum ita sit in divinis, data positione, sequitur inconveniens prius inductum.

285

**32.** Praeterea, omne absolutum est formaliter substantia, quantitas vel qualitas, et in spiritualibus per aequivalentiam. Si ergo divinae perfectionae constituuntur per modos intrinsecos absolutos, vel ergo ibi sunt substantialis formaliter vel quantitatim(?) aut certe qualitatim(?). Non qualitatim, cum ipsi sint communes ut sapientia, bonitas et similes. Nec quantitatim, quia similiter sunt communes ut aeternus, immensus et similes. Nec etiam substanciales, quia ibi non est nisi unica substantia, aliter essent ibi formaliter tres substancialia realiter distinctæ, quod videtur absurdum, quia tunc inter divinas personas esset substantialis distinctio. Relinquitur ergo quod non distinguuntur per absoluta.

300

**33.** Praeterea, data positione, sequitur quod inter personas non esset mutua coexistentia, et per consequens una esset perfectior alia. Consequens est falsum, ergo et antecedens. Sed consequentia probatur, quoniam modi absoluti non se invicem coexigunt, et per consequens licet Filius coexigeret Patrem ad sui productionem, et Spiritus Sanctus coexigeret ambos ad sui productionem, non tamen e converso, quoniam constitutivum Patris, ex quo est simpliciter absolutum, non coexigit constitutivum Filii nec habet aliquam aliam coexistentiam ad Filium. Ergo sequitur quod sine contradictione staret Patrem esse sine Filio, quod falsum videtur. Et per consequens cum| se

305

310

315

C 72vb

---

306 divinas] substantias *add. sed del. C*

coexigant, sequitur quod nullo modo principia ipsarum personarum  
 320 constitutiva et distinctiva sunt modi simpliciter absoluti; quare  
 propositum..

**34.** Praeterea, omnis natura quae per aliquid sui generis contrahitur ad aliquam rationem suppositalem, est limitata in suo genere, et per consequens non est infinita; sed divina essentia est  
 325 formaliter et realiter infinita, et ipsa est suppositum; ergo non contrahitur per aliquid sui generis seu rationis. Cum igitur absolutum sit in divinis eiusdem rationis cum essentia, sequitur quod per nullum tale dicitur divina essentia fore suppositum. Consequentia patet, et maior inductive quoniam si Sortes non per aliquid quod pertinet ad  
 330 rationem humanitatis contraheretur ad hunc hominem, ipse haberet simpliciter totam rationem humanitatis in communi ita quod ratio specifica esset adaequate unum individuum. Et sic potest exemplificari de quibuscumque aliis rationibus quiditatis quae videntur limitationem trahere per hoc quod contrahuuntur per aliquid  
 335 sui generis. Et per consequens cum illimitatio proveniat ex non contractione per aliquid sui generis, sequitur quod limitatio provenit ex contractione per aliquid sui generis per illam regulam, “si opposito de opposito, et propositum de proposito,” quare etc.

**<Contra rationes supra dictas>**

**35.** Sed istae rationes, licet videantur aliquid concludere, non sunt tamen multum efficaces. Ad quas leviter responderent oppositum opinantes. Ad primam igitur dicitur quod data positione, sequitur quod nulla persona est universaliter perfecta. Negaretur consequentia. Ad probationem cum dicitur quia ratio absoluta est denominatio  
 345 perfectionis simpliciter, hic dicitur pro materia argumenti quod rationum absolutarum quaedam sunt denominations perfectionum simpliciter et quaedam non. De primis, ut intellectivum et volitivum, vitale, et sic de similibus. De secundis, ut denominations specificae creaturarum, ut humanitas, asineitas et sic de similibus, quae non  
 350 dicuntur denominationem perfectionis simpliciter. Et ideo fundamentum rationis non est verum. Et quando dicitur quod melius est cuicunque esse absolutum quam non ipsum, et per consequens est denominatio perfectionis simpliciter, hic dico quod licet ista denominatio absolutum sit denominatio perfectionis simpliciter, non  
 355 tamen de quocumque dicitur est denominatio perfectionis simpliciter.

---

330 humanitatis] in communi *add. sed del. C*

337 si...338 proposito] ARIST., *Topica*, IV, 3 (AL V-1, 73; Δ, c. 3; 124a 9); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 326: Sicut propositum in proposito, sic oppositum in opposito.      342  
 Ad primam] Cf. supra n. 30.

Sicut ens est denominationis perfectionis simpliciter et dicitur de equo et de Sorte, non tamen ex hoc Sortes vel equus sunt denominations perfectionum simpliciter. Sic igitur appetet quod ratio ista non est multum efficax contra istos.

C 73ra **36.** Ad secundum cum dicitur quod tunc aliquid<sup>360</sup> Deo aeternaliter competenter per accidens et contingenter, negatur consequentia. Et cum probatur quoniam essent extrinsecæ et non plus essent necessariae quam relationes originis creaturarum, hic diceretur quod non est simile. Et ratio est quia necessitas vel contingentia relationum originis oritur ex necessitate vel contingentia productionis. Nunc autem quia producere creaturam, sive temporaliter sive aeternaliter, est contingens, ideo et relationes originis consurgentes ex tali productione sunt contingentes, quia universaliter relatio sequitur naturam fundamenti et termini. Sed in divinis illae productiones sunt necessariae, continuae et aeternae, et ideo relations consurgentes sunt similiter necessariae. Sunt autem extrinsecæ, quia non sunt constitutivæ vel distinctivæ, sed potius consecutivæ; et sic stat posito.

**37.** Ad tertium cum dicitur quod omne absolutum vel est formaliter quantitas, substantia vel qualitas, diceretur breviter quod tales modi essent substantiales et non relativi. Et cum dicitur quod non quia ibi non est unica substantia, concederetur. Et tamen sunt tales modi, sicut nunc dicimus de illis tribus relationibus quae non arguunt tres quiditates, sed sunt una quiditas, ita similiter ibi isti tres modi transeunt in identitatem divinae essentiae, et sic non sunt tres substantiae ratione huius transitus, et sic dicimus relations esse ab invicem realiter distinctas, ita conformiter dicerent ibi de illis modis absolutis. Et breviter omnis modus respondendi qui nunc datur de relativis, daretur de absolutis, uno excepto quia illi ponunt ista principia constitutiva et distinctiva formaliter esse absoluta, et alii ponunt ipsa relativa. Et sic in rei veritate ratio haec non multum convincit.

**38.** Ad quartum cum dicitur quia tunc personae se non mutuo coexigerent, diceretur breviter quod falsum est. Et ratio <est>, quia licet ista coexigentia non esset ex parte modorum formaliter constituentium, esset tamen ex parte unitatis ipsorum quia sunt unum. Unde et nunc de facto numquam distinctio est formalis ratio coexigentiae, sed potius identitas vel similitudo. Unde et nunc

---

**376** essent] nunc *add. sed del. C*

**360** Ad secundum] Cf. supra n. 31. **374** Ad tertium] Cf. supra n. 32. **388** Ad quartum]  
Cf. supra n. 33.

395 relationes originis non se mutuo coexigunt ratione distinctionis, sed per hoc quod una est de conceptu quiditativo alterius; et ergo videtur quod ratio mutuae coexigentiae oritur ex ratione similitudinis et identitatis, sed oppositio consequitur. Sic etiam ipsi dicent quod illi modi, quamvis non se coexigant formaliter, tamen realiter sic, et hoc sufficit ad mutuam coexigentiam personarum.

400 **39.** Ad quintum cum assumitur<sup>400</sup> quod omnis natura, quae per aliquid sui generis contrahitur ad aliquam rationem suppositalem, est limitata, ad istud diceretur dupliciter. Primo, quod ista propositio assumpta non plus induceret limitationem per modos absolutos quam per modos simpliciter relativos. Et ideo sicut stat divinam essentiam esse suppositum per modos relativos, ita dicent illi a fortiori et perfectius quod per modos absolutos. Nec propter hoc non minus ita esset quin utrobique divina essentia esset illimitata. Secundo, concesso quod per rem absolutam fieret talis contractio, non sequitur quod per rem eiusdem generis, quia diceretur quod non omnia absoluta sunt eiusdem generis. Unde illi modi essent absoluti formaliter incommunicabiles, et ita non essent eiusdem rationis, cum divina essentia quae est absolutum formaliter communicabile. Et sic apparent prima opinio cum suis caloribus et responsionibus defensivis. C 73rb

**<Opinio Thomae de Aquino>**

415 **40.** Secunda opinio circa distinctionem personarum dicit quod ipsarum distinctio non est per modos intrinsecos absolutos, sed per relationes originis tantum. Sed qualiter hoc fiat diversi diversimode fuerunt imaginati. Unde beatus Thomas parte I quaestione 40 articulo 2, imaginatur per relationes in divinis possunt tripliciter intelligi: primo ut relationes, secundo ut subsistentes, et tertio ut origines. Relationes igitur ut relationes non constituunt, sed potius ut subsistentes, quia sic habent unde possint dare esse personale. Similiter relationes potius distinguunt personas ut relationes quam ut origines. Habet igitur ista positio duas conclusiones. Quarum prima est quod licet relatio ut sic non constitutat, ipsa tamen ut subsistens est vere constitutiva. Secunda conclusio: licet relatio ut sic non distinguat, tamen sibi ut sic proprius convenit personas distingue quod ut est productio vel origo.

420 **41.** Prima conclusio potest sic declarari: relationi communiter sumptae competit inherere vel a termino dependere; sed omnis ratio personalitatis repugnat tali dependentiae; ergo si relatio constituit, nullo modo ut sic est constitutiva. Secunda pars illius conclusionis

---

**400** Ad quintum] Cf. supra n. 34.

**415** Secunda opinio] THOMAE DE AQUINO, *Summa theol.*, I, q. 40, a. 2, in corp.

potest sic declarari: quoniam ratio personalitatis exigit non dependere ab alio; sed talis relatio ex quo est subsistens habet quod det non dependere, et per consequens habet quod possit constitutere personam.

435

**42.** Secunda conclusio potest sic probari: quodlibet quod ab alio distinguitur per aliquid sibi extrinsecum, potius distinguitur quam per illud quod non videtur ita extrinsecum; sed relatio est personae intrinseca magis ut sic quam origo; ergo propositum. Declaratur minor,<sup>c 73va</sup> quoniam origo dicit viam ad aliud et per consequens quasi extrinsecum; sed relatio denominat formaliter relatum; ergo potius videtur ut relatio distinguere quam ut productio vel origo; et haec est istius doctoris intentio.

440

<**Contra positionem Thomae**>

**43.** Sed salva sua reverentia, potest sic argui contra totam positionem simul: quandocumque ex natura rei nulla est distinctio imaginabilis realis vel formalis in aliqua una natura, quidquid conceditur de uno termino significante ipsam rem, est et de alio concedendum; sed paternitas ex natura rei nullam in se habet distinctionem realem vel formalem; ergo quidquid conceditur de uno termino significante ipsam paternitatem est et de alio concedendum. Si ergo isti termini significant paternitatem, relatio subsistens et origo, sicut conceditur quod paternitas ut subsistens constituit, ita est concedendum quod paternitas ut origo, quia haec non videtur nisi distinctio rationis ex quo natura rei nulla est distinctio, quia diversa nostra consideratio non variat naturam rei. Ergo si ipsa paternitas est extrinsece relatio et similiter subsistens et etiam origo nihil facit terminorum diversitas quin in rei veritate sic sit sicut per quemlibet illorum terminorum ex parte rei significatur; quare propositum.

445

**44.** Praeterea, de hoc quod dicit quod relatio ut sic principalius distinguit quam ut origo, hoc non videtur verum, quoniam illud quod est prius, saltem secundum modum nostrum intelligendi, per prius convenit personam distinguere quam illud quod est posterius. Sed generare per prius est quam relatio, quoniam paternitas videtur ubi essent distincta fundari supra generare, ut vult Philosophus, V *Metaphysicae*, ubi dicit quod relationes huiusmodi fundantur super egisse. Unde apparet quod actum generationis concomitatur ratio

450

455

460

465

---

**448** est] a add. sed del. C

**460** quod dicit] THOMAE DE AQUINO, *Summa theol.*, I, q. 40, a. 2, in corp.: Unde melius dicitur quod personae seu hypostases distinguuntur relationibus quam per originem. Licet enim distinguuntur utroque modo, tamen prius et principalis per relations, secundum modum intelligendi.   **465** Philosophus] Cf. ARIST., *Metaph.*, V, c. 15 (AL XXV-3, 113; Δ, v. 15; 1021a 22-26).

470 paternitatis, et per consequens per prius est generare quam relatio. Ergo paternitas, si fundamentum rationis est bonum, potius distinguit ut generatio quam ut relatio.

475 **45.** Nec motiva, cum reverentia, sunt efficacia. Primum non valet quod relatio ut relatio se habet per modum inherenteris. Hic queritur qualiter capit relationem? Aut ut est unum de decem generibus, aut ut est quid transcendens, detur(?) univoce vel saltem analogice de Deo et creatura. Si capit primo modo, verum est, et sic non dicitur de Deo, et per consequens nec facit ad propositum. Si vero capitut transcendens, falsum est. Tunc quod assumit quod relatio ut relatio dicit modum inherenteris, quoniam si relationi sic competeret, cuilibet relationi competeret, quia quidquid dicitur de superiori formaliter, et de inferiori. Et ita<sup>c</sup> vere relatio in divinis essent inherens, quod falsum est. Si ergo capit utroque modo, sic argumentum non valet ex diversa termini acceptione, sed est fallacia accidentis; quare propositum.

480 **46.** Nec secundum videtur efficax cum dicitur quod origo est magis extrinseca quam relatio cum sit via ad aliud, ita similiter relatio habet essentialiorem dependentiam ad suum terminum quam origo vel aequae, quoniam paternitas dicit aliud esse quod est sibi extrinsecum; ergo si per hoc esset diversitas, ita origo distingueret sicut relatio, immo ut videtur magis. Sicut igitur apparet quod licet illa conclusio quam tenet principalitatem pluribus videatur vera, non tamen modus intelligendi iam expressus videtur sufficiens.

C 73vb

#### <Opinio Duns Scoti>

485 **47.** Doctor Subtilis tamen aliter declarat in *Reportationi Parisiensi*, distinctione 26, quaestione 2 ubi dicit quod suppositum substantiae in creaturis habet tres condiciones, quarum prima est ultima actualitas. Unde natura in supposito actuatur et ponitur in actu. Secunda vero condicio est ultima singularitas et unitas quod, quam

---

**484** Nec secundum] THOMAE DE AQUINO, *Summa theol.*, I, q. 40, a. 2, in corp. Origō autem passive significata, ut nativitas, significatur ut via ad personam subsistentem, et nondum ut eam constituens. **493** Doctor Subtilis] IOANNIS DUNS SCOTI, *Reportatio I-A*, d. 26, q. 2, n. 67-69, ed. A. WOLTER-O. BYCHKOV (St. Bonaventure U.-FIP 2008, p. 85-86): Ideo dico aliter quod suppositum substantiae in creaturis habet tres condiciones. Habet enim per se esse ex sua actualitate ultima, id est proprietate incomunicabili et individuali... Secundo, suppositum creatum ex ultima sui actualitate habet unitatem ultimam... Tertio, suppositum creatum incomunicabiliter est et habet esse incomunicabile... Primae duae condiciones convenienter essentiae divinae. Ipsa enim est actualissima... Ipsa etiam de se est haec, et est singularissima... Tertia autem condicio, scilicet incomunicabilitas, non convenit essentiae divinae propter imperfectionem.

non habet natura quia non est de se hoc in entitate nec per consequens in unitate, sed contrahitur per differentiam individualem. Tertia condicio est incommunicabilitas quam non habet natura, quia est divisibilis et limitata, et ideo non potest communicari sine sui divisione. Primae autem duae condiciones sunt perfectionis, scilicet actualitas et singularitas. Sed tertia, videlicet incommunicabilitas, nec dicit perfectionem nec imperfectionem, immo quodammodo vergit in imperfectionem, quia communicabilitas videtur dicere perfectionem pro eo quod bonum est sui ipsius diffusivum. Relatio vero in divinis est ratio incommunicabilis. Nunc autem, quia in ratione personae divinae concurrunt essentia et relatio, ideo ex parte divinae essentiae habet actualitatem et unitatem sive singularitatem; ex parte vero relationis incommunicabilitatem. Quia igitur istae tres condiciones, videlicet actualitas, unitas et incommunicabilitas integrant rationem personae, ideo cum has perfectissime recipit persona ab essentia et relatione, sequitur quod proprie persona est quid constitutum ex essentia et relatione, ita quod nec essentia dat proprie rationem personalem nec relatio, sed ambo simul vere integrant rationem personae.

**<Contra opinionem Scoti>**

C 74ra

**48.** Sed licet ista videantur pulchre dicta, tamen in auribus Ochan non generant melodiam, cum dicit quod natura in creaturis non dicit actualitatem nec unitatem nec incommunicabilitatem. Quaero de qua natura loquitur? Aut de creata aut de increata. Si de increata, falsum est, quia ipsa summe actualis est. Si vero de creata, vel illa est substantia vel accidens. Et quocumque illorum detur, sequitur quod est una et singularis et actualis. Si loquor somniando cum excitatus fuerit, recumbat in novissimo loco. Sed quia ista materia est satis divulgata, non oportet hic diutius immorari.

**49.** Verumtamen ad mentem doctoris cui communiter imponitur quod est una natura communis in omnibus individuis, dico quod modus suus perscrutandi fuit metaphoricus, et ideo sumebat rationes specificas abstractive, non considerando nisi ipsas tantum, ut verbi gratia sumendo humanitatem ut sic non plus respicit Sortem quam Martinum, nec plus duos quam centum. Et sic ex sua ratione formalis non dicitur una vel plures. Sed cum ipsa intelligitur haec vel una, tunc dicitur contrahi per differentiam individualem. Ista igitur abstractio non est quod in re ad extra sit illa natura communis, sed praecise in

---

**514** proprie] relationem *add. sed del. C*

**519** Ochan] Cf. GUIL. OCKHAM, *Scriptum in I Sent.*, d. 26, q. 1, ed. G. ETZKORN-F. KELLEY (OTh IV, p. 156-157; eiusdem, q. 2 (OTh IV, 176-181).

consideratione intellectus, ut ipsem, 1 quaestione *Quolibet*, dicit quod universale nihil est praeter singulare. Et istum modum investigandi habuerunt communiter Metaphysici perscrutatores, ut Avicenna in illa communi auctoritate quae allegatur de ipso, V sueae 540 *Metaphysicae*, equinitas est tantum equinitas etc.

50. Et si DICATUR quod secundum hoc in re non est differentia inter Ochan et Scotum absque dubio verum est. SED est differentia in modo investigandi. Unus namque processit logice, et alius metaphysice. Verumtamen aliqui sine fundamento logicae ... 545 doctrinam(?) Doctoris Subtilis divulgabant non intelligentes modum perscrutandi Doctoris Subtilis quod sic intelligebat ex parte rei, quod non est verum.

51. Si tamen realiter potest ARGUI contra imaginationem Doctoris Subtilis, ex dictis suis apparet quod suppositum recipit a relatione tantummodo incomunicabiliter existere et a divina substantia unitatem et actualitatem. CONTRA: nulla forma denominans aliquod subiectum denominat illud nisi denominatione sibi conveniente. Ut patet, quia albedo non dat esse nigrum sed dat esse album, et sic de quibuscumque aliis formis seu denominationibus 555 communicativis; sed relatio formaliter non habet subsistere, quia ut sic dicit habitudinem ad aliud. Ergo licet habeat incomunicabiliter referri, hoc bene potest dare supposito constituto et non subsistere. Ergo per rationes relationum non habebuntur nisi tria relativa, sed non tria subsistentia. Et per consequens ratione incomunicabilitatis ipsius 560 relationis, non habetur tota ratio personalis.]

C 74rb

52. Confirmatur, nam ex hoc quod voluntas movet se ipsam, habet rationem moventis et moti, et ideo in tali ratione duplicatur, et non in ratione suppositi, quia ratio motus non habet conferre rationem suppositalem. Unde si haberet conferre, nihil moveret se ipsum, 565 quoniam se ipsum multiplicaret suppositaliter. Ergo pariformiter cum ipsa relatio non habet conferre subsistere, esto quod triplicetur relatio, non tamen per hoc triplicaretur ratio personalis. Sic igitur videtur quod adhuc praedictus modus non videtur sufficiens usquequaque.

**<Opinio Petri Aureoli>**

---

558 per] relationes add. sed del. C

---

536 ipsem] IOANNIS DUNS SCOTI, *Quodl.*, q. 1 non inveni

539 Avicenna] AVICENNA,

*Metaph.*, V, c. 1 (ed. S. Van Riet, I, 228).

**53.** Dominus tamen Petrus Aureoli circa difficultatem 570 propositam dicit tria. Primum quod constitutio divinae personae non intelligitur per modum effectus formalis sed potius per modum resultantis. Verbi gratia, quid vult dicere doctor iste si esset una albedo in tribus subjectis secundum communem imaginationem illa essent tria alba. Sed hoc dicit falsum, quoniam forma in se penitus remanens indivisa, non potest suum effectum formalem multiplicare. Ita etiam deitas, quamvis sit in tribus suppositis, non potest tamen per modum effectus formalis multiplicari ut dicantur tria supposita subsistentia, sed bene per modum resultantis. Sicut est in domo ex cuius partibus resultat domus, sicut si per imaginationem tectum, 575 paries et fundamentum concurrerent unitive adhuc domus constitueretur in esse per modum resultantis et non per modum effectus formalis. Sic est in proposito imaginatio.

**54.** Secundum quod dicit est quod non solum ad constitutionem 580 personarum concurrit divina essentia et relatio, sed etiam ad distinctionem ipsarum in esse personali, patet ex hoc quoniam quod concurrit ad constitutionem, similiter concurrit ad distinctionem. Si ergo essentia concurrit ad constitutionem, ergo ad distinctionem.

**55.** Tertium suum dictum est quod relaqtiones non constituunt 590 secundum rationem communem, sed secundum rationes proprias, ut est dicere, dici, spirare, spirari. Ex quibus apparet quod divina essentia et relatio simul fundant penitus omnimodam unitatem et perseitatem tertii modi.

**<Contra argumenta Petri Aureoli>**

**56.** Sed licet ista videantur pulchre dicta, tamen illud quod 595 secundo dicit non videtur habere veritatem, videlicet quod essentia concurrat ad distinctionem personarum in esse personali. Contra:

---

**575** dicit] est add. sed del.(?) C

**570** Petrus Aureoli] PETRI AUREOLI, *Scriptum in I Sent.*, d. 26, art. 3 (ed. Romae 1596, p. 587a): Prima quidem quod suppositi constitutio non est per modum effectus formalis, sed per modum cuiusdam resultantis. Est enim considerandum quod aliter album constituitur per albedine, et aliter domus per tectum, parietem et fundamentum. **584** dicit] PETRI AUREOLI, *Scriptum in I Sent.*, d. 26, art. 3 (ed. Romae 1596, p. 587b): Secunda vero propositio est quod non solum ad constitutionem personarum concurrit tam essentia quam relatio, immo ad distinctionem earum in esse personali. **589** Tertium...dictum] PETRI AUREOLI, *Scriptum in I Sent.*, d. 26, art. 3 (ed. Romae 1596, p. 589a): Tertia quoque propositio est quod proprietates non habent quod personas, eo modo quo dictum est, constituent et distinguant per rationem relationis in communi, sed per propriam rationem harum specialium habitudinum, dicere, dici, spirare, spirari. **596** secundo dicit] Cf. supra n. 54.

signo per imaginationem distinctionem personarum et quaero: aut provenit praecise tanta distinctio ratione relationis cum essentia sicut  
 600 sine, aut non. Si sic, habetur propositum. Si non, tanta signo illum excessum distinctionis. Ille est aliqualis distinctio et non est ex parte relationis; ergo ipsa ex natura rei in se habet distinctionem, quod videtur absurdum. C 74va

**57.** Praeterea, si essentia est principium distinctionis, aut igitur ab essentia, aut a relatione, aut a persona. Non primo modo, quia nihil disinguitur a se ipso. Nec secundo modo per idem, quia essentia est relatio. Nec tertio modo per idem, quoniam essentia est persona. Ergo non videtur imaginabile quomodo essentia concurrat ad distinctionem personarum.

**58.** Praeterea, si concurrit ad distinctionem personarum, et hoc non habet a relatione nec a persona, ergo a se ipsa formaliter; ergo potius concurreret ad distinctionem essentialiem quam ad aliquam distinctionem personalem, quod est falsum; quare etc.

**<Opinio auctoris>**

**59.** Et ideo teneo conclusionem cum istis doctoribus, videlicet quod personae divinae constituuntur per relationes originis, et hoc propter auctoritatem Canonis et sanctorum. Unde Matt. ultimo: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Similiter I Ioannis 5: *Tres sunt qui testimonium dant in caelo Pater, Verbum et Spiritus Sanctus et hi tres unum sunt*. Et breviter ubicumque nominantur personae in Sacra Scriptura, semper nominantur nominibus relativis. Hoc autem non est sine magno mysterio, nec est verisimile quin Christus de hoc apostolos docuisset exprimendo ipsas proprietates si absolute fuissent sub propriis nominibus distinctivis; quare propositum.

**60.** Praeterea, beatus Augustinus, *De fide ad Petrum* cap. 2: “Aliud est genuisse quam natum esse, aliudque processisse quam genuisse, et ideo alius est Pater, alius est Filius, alius est Spiritus Sanctus.” Similiter, XI *De civitate Dei* cap. 10: “Ideo simplex dicitur Deus, quia est hoc quod habet, excepto eo quod relative quaecumque persona ad alteram dicitur nec est ipsa. Nam utique Pater habet Filium ad quem relative dicitur, nec tamen est Filius in quo vero ad

**617** Euntes...619 Sancti] Matt. 28, 19.

Vulgata habet: Tres sunt qui testimonium dant Spiritus et aqua et sanguis et tres unum sunt.

**626** De...Petrum] FULGENTII RUSPENSIS, *De fide ad Petrum*, c. 1, n. 6 (CCL 91A, 715; PL 65, 675A).

**629** De civitate] AUGUST., *De civ. Dei*, XI, c. 10, n. 1-2 (CCL 48, 330; CSEL 40-1, 526; PL 41, 325s) paucis omissis.

semetipsum dicitur, hoc est quod habet.” Similiter, V *De Trinitate* cap. 7: In illa praestantissima divinitate quidquid ad se dicitur non pluraliter sed singulariter dicitur. Quod vero ad aliquid seu relative dicitur, non substantialiter praedicatur. Ex quo apparent quod non est imaginandum quod beatus Augustinus, qui tantum circa istam materiam insudavit, quin dixisset personas distingui per modos intrinsecos absolutos si id vidisset consonum dictis Sacrae Scripturae.

**61.** Praeterea, venerabilis Anselmus in libro *De processione Spiritus Sancti* sic dicit: omnia sunt unum in divinis ubi non obviat relationis oppositio. Similiter Boethius in libro I quem fecit *De Trinitate* circa finem dicit: “Substantia in divinis continet unitatem, relatio non multiplicat Trinitatem.”<sup>c 74vb</sup> | Similiter Damascenus, libro I cap. 10 dicit: “Omnia quaecumque habet Pater, habet Filius et Spiritus Sanctus et e converso praeter ingenerationem, generationem et spirationem.”

**62.** Ex quibus luculenter appareat veritas praemissae opinionis et fere omnium sanctorum est concors sententia quod divinae personae distinguuntur proprietatibus relativis. Et ad hoc est ratio manuducens quam facit Ochan I *Super Sententias* distinctione 26 quaestione 1: “Frusta fit per plura quod fieri potest per pauciora, nec ponenda sunt plura mirabilia quae videntur rationi naturali repugnare sine auctoritate Scripturae et sanctorum. Sed ponere personas divinas distingui per proprietates absolutas repugnat rationi naturali, nec habetur expresse ex Sacra Scriptura vel ex dictis sanctorum.” Ergo hoc ponere est superstitionis. Sed qualiter personae proprietatibus

---

**651** I] *scrip. pos. sententias sed corr. signis transp. C*

**633** De Trinitate] AUGUST., *De Trin.*, V, c. 8, n. 9 (CCL 50, 215-216; PL 42, 916-917): Quidquid ad se dicitur praestantissima illa et divina sublimitas substantialiter dici; quod autem ad aliquid non substantialiter sed relative, tantamque vim esse eiusdem substantiae in Patre et Filio et Spiritu Sancto ut quidquid de singulis ad se ipsos dicitur, non pluraliter in summa sed singulariter accipiatur. **640** Anselmus] ANSELMI, *De processione Spiritus Sancti*, c. 1 (ed. F. SCHMITT, II, 181-183; PL 158, 288-290). **642** Boethius] BOETHII, *De Trin.*, c. 6 (ed. C. MORESCHINI, p. 180; PL 64, 1254). **644** Damascenus] IOAN. DAMASC., *De fide orthod.*, c. 8, n. 13, ed. E. BUYTAERT (St. Bonaventure U.-FIP 1955, p. 40): Omnia igitur quaecumque habet Filius, et Spiritus ex Patre habet... praeter ingenerationem, generationem et spirationem. **651** Ochan] GUIL. OCKHAM, *Scriptum in I Sent.*, d. 26, q. 1, ed. G. ETZKORN-F. KELLEY (OTh IV, 157): Frusta fit per plura quod potest fieri per pauciora, nec ponenda sunt plura mirabilia quae videntur rationi naturali repugnare, sine auctoritate Scripturae vel Sanctorum. Sed ponere talem proprietatem absolutam videtur repugnare ratione naturali, nec habetur expresse in Scriptura vel dictis Sanctorum.

660 relativis distinguntur, dico breviter quod hoc non potest plenarie declarari. Verumtamen dicendum est quod hoc provenit sine pluribus verbis ex intrinseca condicione relationis divinae quod constitutat et distinguat in quantum est divina relatio, non in quantum relatio. Sicut, verbi gratia, videmus duas herbas in secundo gradu calidas, et una curabit certam infirmitatem ratione sui caloris, et altera exasperabit. Unde hoc primae herbae provenit, non in quantum calida in secundo gradu, sic alteri conveniret, sed in quantum est haec. Et ideo solet communiter dicere medici ... ... ex occulta forma. Sic igitur dico in proposito, quod licet videam quod relationi in creaturis non competit constituere et per ea quae allegata sunt relationi divinae competit constituere, hoc non sibi competit in quantum relatio, sed in quantum relatio divina. Et hoc provenit ex latenti forma, et hoc mihi magis sufficit quam dicere praemissis tribus modis.

**<Contra rationes in contrarium>**

675 **63.** Ad rationes igitur factas contra istam conclusionem et pro confirmatione alterius positionis in quinta conclusione respondeo. Et primo ad primam, cum arguitur quod impossibile est unum contrarium in esse constitui per suum contrarium sicut impossibile est albedinem in esse constitui per nigredinem, sed esse ad se et esse ad aliud sunt contraria, cum igitur relatio sit formaliter ens ad aliud et esse personam sit ad se, sequitur quod relatio nullo modo dat esse personam, hic dico pro materia argumenti quod relatio non constituit in quantum relatio, sic enim quaelibet relatio constitueret, sed constituit in quantum divina, cui repugnat inherentia.

680 **64.** Pro quo advertendum est quod relatio in Scripturis tripliciter intelligitur: primo modo ut accidentis, secundo ut dependens, et tertio ut dicens habitudinem. Primis duobus modis non dicitur relatio in divinis, quia dicunt formaliter imperfectionem. Tertio modo dicitur, et sic relatio est habitudo sine inherentia et dependentia, et sic sua rationi non repugnat dare esse personale. Cum ergo dicitur quod relatio est ad aliud et per consequens non potest dare alicui esse ad se, nego istam consequiam, quia licet hoc sit verum de relatione quae est ad aliud et cum hoc est dependens, hoc tamen non est verum de relatione independente cui competit ista condicio ex propria ratione fundamentali. Et potest poni exemplum: anima intellectiva ex se non est persona, et tamen habet quod possit fundamentaliter dare esse personale.

695 **65.** Ad secundum cum dicitur illud non constituit suppositum quod praesupponit suppositum, concedo. Et cum dicitur quod relatio

C 75ra

---

**675** ad primam] Cf. supra n. 15. **696** Ad secundum] Cf. supra n. 16.

in divinis hoc facit, nego. Ad probationem: quoniam omne quod relative dicitur est aliquid excepto relativo, sed suppositum dicitur relative, ergo est aliquid excepto relativo, concedo totum. Et cum dicitur quod hoc non est essentia, nego, quia in Patre nihil reale intelligimus nisi essentiam et paternitatem. Ad probationem quando dicitur quod relatio originis non potest in essentia fundari, aliter essentia generaret, hic dico quid esse fundamentum potest intelligi dupliciter: aut substantans ut dicitur in creaturis, aut eliciens. Primo modo divina essentia non dicitur fundamentum relationum, quia sic relationes essent inhaerentes, quod falsum est. Secundo modo, licet sit impropus modus loquendi, concedetur, quia tunc idem est quod essentia est principium elicivum divinarum relationum, et ex hoc non sequitur quod generaret, quia sicut dictum est alias, essentia dicitur elicere sed nullo modo producere, et hoc ad intra.

C 75rb

**66.** Ad tertium cum DICEBATUR nulla constitutio per accidens est constitutio per se faciens unum; sed constitutio ex substantia et relatione est huiusmodi; ergo propositum, DICO breviter quod argumentum imaginatur quod ibi relatio maneat distincta ab essentia et cum ea faciat unum per accidens, sicut nunc de facto in creaturis secundum imaginationem illorum qui ponunt relationem rem distinctam a suo fundamento. Unde similitudo et substantia faciunt similem qui dicitur ens per accidens. Sed ita non est in proposito, quia quamvis ibi sit vera relatio, transit tamen in identitatem realem divinae substantiae, et ideo ibi nulla remanet imaginabilis constitutio per accidens. Imaginatur etiam ratio quod relatio in divinis sit per modum accidentis, quod declaratum est esse falsum. Ibi enim, ut dictum est, existit relatio dicens habitudinem sine quacumque inhaerentia vel dependentia subiectiva.

**67.** Ad quartum cum dicitur quod si Pater constituitur per relationem, est ita vere productus sicut Filius, hoc nego. Ad probationem, quia “relativa posita se ponunt et perempta se permunt;” ergo non plus paternitas est principium filiationis quam e contra, hic dico quod facientes istud argumentum imaginantur quod ibi non est nisi pura habitudo. Unde dico quod paternitas in divinis ex ratione propria est origo et est habitudo quae non differunt ex parte rei formaliter vel realiter. Et ideo per ipsam Pater est vere generans, et per relationem oppositam Filius est vere genitus, cum ipsa filatio sit vere ex natura rei origo passiva. Ex quo apparet quod non sequitur quod si inter illas est mutua habitudo quod non plus unum est principium alterius quam e contra, falsum est. Unde tota imaginatio argumenti

---

712 Ad tertium] Cf. supra n. 18. 723 declaratum est] Cf. supra n. 45. 726 Ad quartum]  
Cf. supra n. 19. 727 Ad probationem] Cf. supra n. 20.

740 consistit in hoc quia non ponit ipsas relationes esse formaliter origines, sed potius ex originibus consurgere, quod falsum est. Ipsae enim relationes divinae sunt ex natura rei origines; quare ratio parum concludit.

745 **68.** Ad quintum cum dicitur quod nihil quod praeexigit aliud constituit illud, concedo. Et cum dicitur, relatio praeexigit distinctionem extremorum, si ista capiatur universaliter, nego ipsam. Et cum dicitur de Philosopho, V *Metaphysicae* capitulo 'De eodem', quid dicit identitatem non esse realem relationem per hoc quod non praeexigit distinctionem extremorum, dico quod Philosophus intellexit de relationibus inhaerentibus et dependentibus; nec credo quod umquam intellexit istum modum relationis. Nunc ergo, quia relationes 750 divinae non sunt inhaerentes, sed sunt constitutivae, ideo illae non praeexigunt distinctionem extremorum, sed primo et per se recludent ipsa supposita distincta. Unde amotis ipsis relationibus non intelligeretur suppositum remanere.

755 **69.** Ad sextum cum DICITUR quod quaelibet ratio distinctiva est incommunicabilis; sed nulla paternitas vel filiatio est incommunicabilis cum ab eis potest abstrahi unus conceptus, videlicet relatio originis; et per consequens non sunt ultimo distinctiva, hic DICO primo ad maiorem quod non oportet quod semper cuicunque competit formaliter ratio distinctiva quod eidem competit ratio 760 incommunicabilis formaliter, quoniam divina essentia formaliter habet rationem distinctivam quia est vere una, et ex se habet suam unitatem et singularitatem. Et tamen non propter hoc est ratio formaliter incommunicabilis, immo est formaliter communicabilis et ad invicem. Cum dicitur quod paternitas non est incommunicabilis, hoc nego si 765 loquimur de paternitate in divinis, immo sic est una et incommunicabilis quod impossibile est ipsam plurificari qualitercumque. Et cum dicitur quia a paternitate et filiatione potest abstrahi unus conceptus et hoc non potest fieri ab ultimo distinctivis, hic dico quod ab ultimo distinctivis bene potest abstrahi unus 770 conceptus, immo non possum imaginari quaecumque duo qualitercumque distincta a quibus non possit abstrahi unus conceptus, quoniam Deus et creatura plus in infinitum distinguuntur quam quaecumque duae rationes individuales creaturarum, et tamen a Deo et creatura, non solum analogice sed etiam univoce <potest> abstrahi unus conceptus communis, nisi vellet vocare ultimo distinctiva illa quae nullo modo possunt convenire. Sed sic nulla reperiet ultimo distinctiva, quia quaecumque signabilia vel signata habent ex propriis rationibus convenientiam et consimiliter differentiam. Et ideo si

C 75va

---

742 Ad quintum] Cf. supra n. 21. 754 Ad sextum] Cf. supra n. 22.

realiter intelligitur condicio ultimo distinctorum, satis est responsum.  
Si vero solum imaginarie, nihil ad propositum.

780

**<Dubium aliquod>**

**70.** Sed restat hic unum dubium, et est finis. Dictum est quod relationes originis sunt personarum constitutivae, sed quaeritur an omnes, an aliquae tantum, quia dubium est de spiratione activa an sit constitutiva sicut paternitas et filiatio. Pro quo videtur dicere Doctor Subtilis quod non constituit, sed est quodammodo adveniens, quia per prius est Patrem generare quam spirare, et per consequens per prius intelligitur Pater constitutus quam spiret Spiritum sanctum.

785

**71.** Verumtamen dicit dominus Petrus Aureoli quod formaliter constituit spiratio activa. Unde ad rationem Patris concurrit divina essentia, paternitas et activa spiratio. Et quia nullum illorum habet propriam unitatem, ideo illa tria fundant penitus omnimodam unitatem et recludunt perseitatem tertii modi, et per consequens rationem unicam personalem. Et similiter Filius constituitur per spirare active et generari passive et divina essentia. Sed Spiritus Sanctus per essentiam et spirationem passivam tantum. Et ideo dicit quod spiratio activa non est adventitia.

790

**72.** Advertendum tamen est, propter varia dicta doctorum in ista materia, quod esse constitutivum potest sumi dupliciter. Uno modo pro omni illo quod est de essentia et quiditate alicuius, ita quod ipsum sine illo non potest esse, sicut homo non potest esse sine anima intellectiva. Secundo modo dicitur constitutivum et magis stricte pro illo quod est de essentia alicuius distinguens ipsum ab omni alio. Primo modo absque dubio spiratio activa est constitutiva sicut paternitas et essentia, quia impossibile est Patrem esse sine spiratione activa. Secundo modo spiratio activa non dicitur constitutiva, quia per ipsam Pater non distinguitur a Filio. Et isto modo nec essentia dicitur constitutiva, quia per ipsam una persona non distinguitur ab alia, et sic non est adventitia non plus quam essentia. Si ergo intelligit isto secundo modo, Doctor Subtilis verum dicit. Et si Petrus Aureoli primo modo, similiter verum dicit; et ex hoc nullus alteri contradicit, et sic secundus articulus terminatur.

795

800

805

810

---

812 terminatur] tertius articulus add. (rubr.) C

---

785 Doctor Subtilis] Non inveni. Etz 789 Petrus Aureoli] Cf. PETRI AUREOLI, *Scriptum in I Sent.*, d. 26, a. 3 (ed. Romae 1596, 587b).